Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26418
Copyright: Admont, Benediktinerstift

BENEDICTUS
DOMINUS. QUI UULT. OMNES HOMINES.
saluos fieri. et qui operatur omnia in omnibus
uelle et perficere. Et ideo merito ipsius
laus canenda est prius in sanctorum meritis siue
uirtutibus qui de paruis efficit magnos. immo qui de
stercore eleuat pauperem. et cum considere facit cum
principibus populi sui. sicut et presentem uenerabilem magnamque
feminam domnam Balthildem reginam. quam de partibus
transmarinis diuina prouidentia aduocans.
et uili pretio uenundata huc aduenit. ipsa preciosa
et optima dei margarita. Recepta est igitur a principe
francorum uiroque illustri erchinoaldo quondam. in cuius
ministerio ipsa adolescentula honestissime
conuersata est. ita ut eius pia conuersatio admirabi
lis complaceret tam principi quam et omnibus eius ministris.
Erat enim benigna animo. et moribus omnibus sobria.
prudensque et cauta. nulli machinans malum.
non leuis in eloquio. non presumptuosa in uerbo. sed
in cunctis actibus suis honestissima. Et cum esset
ex genere saxonum. forma corporis grata ac
subtilissima. et aspectu decora. uultu hilaris.
et incessu erat grauis. et cum talis esset fuit